

rea a multis jam sæculis observatum est, ut mendici, qui partim variis morbis confecti, partim membris mutilati, partim ex opulento statu ad inopiam redacti sunt, præ foribus templorum sedeant, quasi communes hominum præceptores, juxta id Apostoli: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* I. Tim. VI. Per hos enim cæteri monentur, ut nec secundis rebus efferantur, nec adversis frangantur. Pessima duo vitia sunt, elatio et pusillanimitas; utrumque dedocet aliena paupertas. Placet sibi quispiam et blanditur de eleganti forma, juvenute, robore? Intueatur pauperes et qui præ foribus templorum et urbium sedent, quorum forte non pauci iisdem naturæ dotibus præditi olim erant, nunc vero squalidi sunt et deformes. Tumet aliquis ob divitias et potentiam? Intueatur pauperes illos, qui et ipsi forte olim divitiis pollebant, nunc vero ad extremam inopiam redacti sunt: sic fiet ut quisque tandem cristas elationis demittat. Hujusmodi exemplum celebre fuit Belisarius Romani imperii princeps gloriosissimis victoriis insignis, qui tandem in eum fortunæ casum devenit, ut publice ostiatimque stipem peteret, de quo Joan. Tzeza: «Iste Belisarius imperator magnus, Justiniani existens temporibus imperator, ad omnem quadrantem terræ, cum explicuisset victorias, postea invidia excæcatus (o fortunam instabilem!) poculum ligneum detinens clamabat plebi in stadio: Belisario obolum date imperatori! Quem fortuna quidem clarum fecit, excæcavit invidia,» apud Baron. an. 561. Et quam multa talia exempla statuit nuper Deus, cum per militum direptiones multi ex opulentissimis pauperimi sunt facti? Annon idipsum cuivis alteri evenire potest? Atque ex hoc conversionem suam cepit Josaphat ille regis Avennir filius, quod vidisset obvios mendicos pauperes et variis corporis defectibus obnoxios, ut est in ejus vita apud Damascenum. Optime igitur S. Chrysostomus vocat divitias servum fugacem, in hom. in Eutropium; ubi in exemplum adducit ipsum Eutropium, qui de opum et honorum summo gradu in imum lapsus, cum a militibus ad necem quæreretur, ad ecclesiam confugere coactus est, ibique a Chrysostomo exceptus et homilia prædicta defensus ac servatus.

Monet etiam secundo, ut ne frangamur adversis rebus. Accidit enim tibi præter voluntatem aliquid? At quam leve est istud, si cum istius miseri calamitate conferas? Non es ea, qua optas valetudine? At hujus miseri morbus prorsus est incurabilis. Facultatam tuarum gravem jacturam fecisti? At hic ne panem quidem habet, quo se et liberos suos sustentet, nisi

a te accipiat, nec tamen idcirco murmurat au Deo maledicit. An forte non poterat Deus eadem te calamitate premere?

V. Propter bonum ipsorum pauperum; si enim pauperes nossent quantum bonum sit paupertas, commutare eam cum quibuscumque divitiis nollent. Paupertas primo hominem in Dei timore et servitio continet: sicut enim avi truncantur alæ, ut ne avolare queat; sic paupertas adimit homini potestatem, ut a Deo facile discedere nequeat.

Secundo hominem securum reddit et munit contra diaboli insidias. «Dives enim, inquit D. Chrysost. hom. XIII. in acta apostol. nihil aliud esse videtur, quam civitas quædam absque muris in agro sita, et undique insidiantibus exposita; paupertas vero e contra securum præsidium est, et expugnatum difficile.» Et hom. V. in epist. ad Tit. c. III. «Quemadmodum eos, qui nudi fugiunt adversarium, inquit, nemo facile tenere potest; qui vero vestimentum post se trahit, eum quis facile apprehendit, eadem ratione et dives et pauper se habent: nam etiamsi pauper capiat, fugere facillime potest, et dives etiamsi non capiat, suis tamen compedibus irretitur, curis innumeris et cogitationibus obstructus.» Hæc ille.

Tertio, accendit sitim cælestium honorum et promovet ad ea quærenda. Columba emissa ex arca, quia non invenit, ubi requiesceret pes ejus, ideo cito reversa est ad arcam; corvus vero quia invenit natantia cadavera, in quibus se definuit, non est reversus, Gen. VIII. Columba pauper, corvus dives est. Pauperes sunt Levitæ spirituales, qui cum non habeant in terra hæreditatem sibi assignatam, ideo Deus illorum hæreditas erit, Deut. VIII. ex quo etiam fit, ut suaviter et libenter mortem oppetant. Sicut qui littus secant, facile et quodcumque secure appellere possunt; non ita qui in alto mari navigant: sic pauperes omni tempore facile se ad mortem parant, divites non item.

Quarto, quietem et felicitatem parit; unde Aglaus ille modici ruris cultor in Arcadia, qui metas agelli sui cupiditate nunquam excesserat, Apollinis oraculo felicior pronuntiatus est Gyge Lydorum rege, apud Majol. to. II. Canic. coll. III.

Quinto, præparat ad recipiendum Evangelium, unde dicitur in hodierno Evangelio: *Pauperes evangelizantur*; quia scilicet illi citius et expeditius recipiunt Evangelium, quod contemptum, humilitatem, asperitatem vitæ amplecti docet. Sunt enim pauperes velut ligna arida, quæ facile concipiunt ignem illum, de quo dicitur Luc. XII. *Ignem veni mittere in terram.* Divites ligna virentia, quæ ignem repellunt, in eo strident et fumant; dum scilicet ægre

jejunant, ægre frigus in templo ferunt; flectere genua, et alia humilitatis opera exercere gravantur, etc.

Sexto, aptissimum est instrumentum ad perfectionem consequendam, uti eam vocat Theodoretus I. VI. de providentiâ; ubi subdit: «Per divitias vix aliquis paucula virtutis membra eleganter exsculpet, multi vero paupertate adjuti omnia simul fabricare possunt.»

CONCIO V.

TRIA VINCULA JUSTORUM.

I. Reverentia et timor omnipresentiæ divinæ. — II. Recordatio benevolentiae, et beneficentiæ divinæ. — III. Timor judicii divini.

THEMA.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi.

Matth. XI.

Mirum alicui videri potest, quod Joannes e carceribus legationem ad Christum mittens aliud nihil quærat, quam: *Tu es, qui venturus es?* Quis enim eam legationem videns non illico divinasset Joannem petiturum liberationem e suis vinculis, quibus iniquissime ab iniquissimo vinciebatur rege? Scimus namque quid captivi diu noctuque cogitent: libertatem scilicet. Quis ergo non dixisset nuntiaturum Christo Joannem: *Domine, quem amas*, ipse in vinculis est? Rursum etiam Joanni Christum renuntiatum: Bono animo esto, venio ut liberem te? Nihil horum Joannes, nihil horum Christus; de Messia inter se conferunt, de vinculis nulla mentio: nimirum Joanni bene erat cum suis vinculis, vincula ejus deliciæ, vincula ejus gloria erant, idque norat Christus; ideo nec ille absolutionem a vinculis petit, nec iste eam offert. Felices nos, auditores, si cum præcursore Domini in vinculis essemus. Ac licet materialibus vinculis minime ligemur, possumus tamen aliis non minus salutaribus vinculis nos adstringere; si nimirum membra nostra, sensus et voluntatem a peccatis ita coerceamus, ut peccare nequeamus. Tali etiam ratione vincunt fuisse Joannem, nemo negare poterit, qui novit ejus vestem fuisse pilos camelorum, ejus cibum locustas et mel silvestre, ejus domum antra deserti; *Ne levi posses maculare vitam crimine lingue*, uti canit de eo Ecclesia. Quomodo enim delinqueret, vel in sermone, vel in victu, vel in vestitu, qui tam remotus ab hominibus omnibusque mundi illecebris in tanta austeritate vixit? Atque in hoc vel huic simili carcere, utinam nos omnes essemus! Quam nobis in eo bene foret! Quam nos peteremus ab eo liberari! Sed agendum, quibus vinculis huic carceri adstringi possumus? Audiamus.

I. Est reverentia divinæ majestatis, ubique præsentis et cuncta cernentis. «Magna est cautela peccati, inquit S. Aug. ser. CXIII. Dei semper præsentiam timere. Et in l. soliloq. c. XIV. ait: «Domine, quando perpendo, quod gressus meos semitasque consideras, et die nocteque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, velut, si totius creaturæ tuæ, cæli et terræ oblitus, tantum me solum considerares et nihil sit tibi curæ de aliis, Deus meus terribilis et fortis, timore pariter et ingenti rubore confundor; quoniam nobis magna est indita necessitas juste recteque vivendi, qui cuncta faciamus ante oculos judicis cuncta cernentis.» Sic ille. Ante oculos terrenorum principum nemo facile audet committere quid improbum. Quis enim quæso coram rege suo furtum, adulterium, vel homicidium perpetrare ausit? Et qui tale quidpiam committendum a se audiret ex fatidico, nonne illico dicturus esset: Et quomodo hoc possum facere? Si famulum, qui ad mensam hero suo inservit, interrogas: Ecce tu cutem tuam non curas? Cur non strenue potas? Cur escis et bellariis saccos tuos non infarcis? Respondebit is quamprimum: Non possum istud facere, quoniam dominus meus undique circumspicit, et ad me præsertim attendit, observans quidquid ago. Ecce oculus domini potestatem adimit servo violandi honestatem et decorem: et hoc non potest facere oculus Dei? Qui, ut canit Ecclesia: *Speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus, actusque nostros prospicit a luce prima in vespere?* Et Eccl. XXIII. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi; et hominum corda influentes in absconditas partes.* Vetusto Macedonia more, regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti; e quibus unus thuribulo accepto, ante ipsum adstitit, in ejus brachio carbo ardens delapsus est, quo etsi ita urebatur, ut adusti corporis ejus odor ad circumstantium nares perveniret, tamen dolorem silentio pressit et brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu aures regias aspergeret: rex quoque patientia pueri magis delectatus, hoc certius perseverantiæ experimentum sumere voluit; solito enim sacrificavit diutius, neque hac re eum a proposito repulit. V. Max. l. III. c. III. Hoc puer iste, et gentilis quidem. Quid ergo nos? Quid non pati potius debemus, quam ut oculos et aures Dei omnia cernentis et audientis offenderemus; si puerum lenta adustio non potuit permovere, ut præsentem regem vel gemitu turbaret? Quid mirum, si perfecti viri nullis adigi machinis queant, ut

coram Deo omnibus præsente peccent? Refert S. Greg. Naz. in car. de subm. et temp. imaginem Polemonis philosophi admodum severe et graviter pictam, et in cubiculo quodam pendentem absterruisse meretricem, in eodem cubiculo ad facinus paratam, a flagitio. Si hoc potuit ethnici hominis imago in ethnica puella, quanto magis poterit absterrere viros bonos a peccatis quibuscumque, Dei ipsius omnipræsencia? Sane istud vinculum strinxerat Susannam illam castissimam, ne quantumvis vi et dolo a nequissimis senibus pertentata, a proposito castitatis dimoveri posset. Dicebat enim: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Dan. XIII. Mori ergo potius parata fuit, quam in oculis Dei peccare. Contra vero pessimi illi senes, quia hoc vinculo caruerunt, pudorem peccandi exuerunt; quia, ut ait ibid. s. textus: *Everterunt sensum suum et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum.* Similem his peccatricem reduxit ad frugem S. Ephrem, quam cum adisset rogassetque an auderet consueta sua peccata in medio urbis Essenæ committere, ipsa autem respondisset, non audere, quia pudor nimius prohiberet in conspectu hominum talia patrare scelera, subiecit vir sanctus: Tu vero scias, etiamsi in loco occultissimo et ab hominibus remotissimo pecces, te conspici a Deo ubique præsente. Si itaque te a peccando deterreret pudor vel metus hominum multo æquius deterrere te debet metus Dei, qui ejusmodi scelera æternis mulctat suppliciis inferni. Quæ admonitio sic perterrefecit feminam, ut dolore peccatorum summo tacta in corde intrinsecus, in monasterium pœnitentiæ agendæ causa se abdidit. Metaphr. in vita S. Ephrem. Surius in Febr.

II. Est recordatio benevolentiae et beneficentiæ divinæ. Hoc enim quasi vinculo trahi solent homines ad amorem et servitiâ reciproca, juxta id Oseæ XI. *In funiculis Adam* (id est, hominum, quibus scilicet trahi solent homines, uti amore et beneficiis) *traham eos, in vinculis charitatis.* Funiculos autem illos Adam, Ruffinus censet fuisse beneficentiam, qua Deus Adamum post peccatum prosecutus est, dans ei cibos illaboratos et sponte nascentes. Cujusmodi funiculis et nos sibi devinxit Christus, cum pro nobis factus est Adam, id est, caro et frater noster, ut nos docendo, ducendo, redimendo ad regnum suum pertraheret. Pona- mus jam exemplum. Sit vir quidam nobilis et locuples, qui te in servitute Turcica constitutum, sordidum, egentem, afflictum magno pretio redemit; deinde curam tui habuit, vestivit, pavit, insuper et in filium te adoptavit bonorumque suorum hæredem instituit. Suadeat

tibi nunc aliquis ut uxorem hero tollas, ipsum vero occidas: num tu hoc facere poteris? An non te ligatum dices ferreis catenis, quominus tantum facinus designare queas? Illustre hujus rei exemplum præbuit nobis Josephus, castissimus adolescens, qui a domina sua ad stuprum multoties sollicitatus, tandemque vi arreptus, nequaquam acquievit operi nefario, sed dixit ad eam: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua; nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere et peccare in dominum meum?* (sive ut alii legunt, *in Deum meum?*) Genesis XXXIX. quasi dicat: fieri non potest, ut tam iniquus, infidus et ingratus sim hero meo, tam in me propenso, ut mihi omnia sua crediderit. Cogitemus jam et nos, quanta a Deo nostro acceperimus beneficia: ab ipso creati et redempti e dæmonis servitute sumus, ipsius sanguine in baptismo abluti et pretiosa gratiæ veste induti, insuper filii ejus adoptati, de mensa et corpore ejus pasti, demum hæredes ejus in cælo conscripti: ipse nobis omnia sua tradidit, doctrinam cœlestem, virtutes, merita, corpus et sanguinem, denique et regnum suum. Unicum tantum sibi reservavit, ne gloriam et majestatem ejus peccato offenderimus; quia scriptum est Isaïæ XLII. *Ego Dominus, hoc est, nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Fierine igitur potest, ut tantum et tam beneficum Dominum, non dico, impugnemus, sed vel verbulo molestemus? Et qua ratione ausit aliquis thronum ejus conscendere, coronam capiti ejus detrahere, ipsum e solio exturbare, et gloriam ejus alteri dare? Non possum, non possum: exclamares utique si tibi quis hoc suaderet. Magna quidem beneficia accepit ab hero suo Joseph, sed non minora illi reddidit. *Benedixit enim Dominus domui Egyptii propter Joseph et multiplicavit ejus substantiam, ut dicitur ibi.* Nos a Deo accipimus, nihil dare possumus. Josepho molesta erat domina, et vim inferre cœpit ad patrandum scelus. Nemo nos ad peccandum trahit; sola nostra libido et effrænis voluntas impellit. Porrone Josephi factum paternæ disciplinæ et bonæ educationi potius quam lumini naturali et syndæresi adscribamus, audiamus etiam factum adolescentis ethnici ex Valer. Max. lib. V. c. IX. Adverterat bonus quidam pater necti sibi a filio insidias, adeoque necem parari: quod tamen cum in animum inducere non posset, in locum desertum filio perducto, gladium quem secum occultum attulerat, tradidit, ac jugulum feriendum præbuit, nec veneno nec latrone ei ad peragendum parricidium opus esse affirmans; quo facto non paulatim, sed magno

impetu recta cogitatio pectus juvenis occupavit; continuoque abjecto gladio: «Tu vero, inquit, pater vive: et si tam obsequens es, ut hoc precari filio permittas, me quoque exupera; sed tantum quaeso, ne meus erga te amor eo sit vilior quod a pœnitentiâ oritur.» Nonne juvenis iste et verbo et facto dicere voluit: quomodo possum hoc malum facere, ut optimum patrem jugulem? Quid igitur nos? Auditores, adhucne poterit aliquis gladio peccati Deum patrem suum impetere? Quid enim ait Moyses Deut. XXXII. *Hæcine reditis Domino, inquit, popule stulte et insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit* (Hebr. *emit*) *te et fecit et creavit te?* Commemoratur etiam S. Gaudentius egregium facinus Benevoli, scriniorum Valentiniani imperat. præsidentis, invictam scilicet erga Deum, Ecclesiam, et SS. Patres observantiam. Cum enim juberetur adversus Patrum fidem imperialia decreta dictare, abnuvit; et cum amplior ei honor promitteretur, dixit: «Quid mihi pro impietatis mercede altiore promittis gradum? Hunc ipsum quem habeo, tollite, tantum mihi conscientia fidei duret illæsa.» Atque ita cingulum ante pedes præcipientium jecit. Baron. an. 386. ex Ruffino IV. de fide cath. Horum igitur exemplo nos, cum a mundo, carne, dæmone instigamur ad patrandum aliquid contra Deum, Christum, Ecclesiam, SS. Patres, magistratum, parentes, heros, præceptores aliosque benefactores, colligamus nos quamprimum et pensemus, quantum his obstricti simus, et an fieri possit, ut tam fortia beneficiorum abrumpamus vincula, et pro bonis mala rependamus.

III. Est timor Dei, conceptus ex consideratione severissimi judicii et vindictæ Dei, quæ expectat peccatores sæpe in hac vita, certissime vero in die judicii, ubi *Quidquid lalet apparebit, nil inultum remanebit.* Hoc vinculo adstringi cupiebat David, cum orabat: *Confige timore tuo carnes meas, a judicis enim tuis timui.* Idemque suadet S. Basilius in illud Psal. XXXIII. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos:* «Cum te, inquit, appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud Christi tribunal, in quo præsidebit judex in excelso throno: astabit autem omnis ejus creatura ad gloriosum ejus conspectum contremiscens, adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus, rationem reddituri; mox illis qui mala perpetrarunt, terribiles quidam et deformes assistent angeli, igneos vultus præ se ferentes atque ignem spirantes in homines scilicet impios. Ad hæc cogita profundum barathrum et inextricabiles tenebras, et ignem carentem splendore, urendique vim habentem, sed privatum lumine; deinde vermium genus, venenum immit-

tens et carnem vorans inexplebiliter esuriens, neque unquam satietatem sentiens, atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Denique quod omnium gravissimum est, opprobrium illud et confusionem sempiternam. Hæc time; et hoc timore quasi fræno animam a peccatorum concupiscentiâ reprime.» Ita S. Basilius. Cohibuit Deus hoc timoris fræno non semel etiam ethnicos, quantumvis iracundiæ cæstro percitos. Primo, Laban socerum patriarchæ Jacob; audiens enim clam discessisse generum cum filiabus, ejus uxoribus, persecutus illum, armavit in eum manus suas ultrices. Verum prius apparuit ei Deus iratus et minabundus (e tali enim specie vult Rupertus, agnitum esse ab homine gentili Deum Abraham, Isaac et Jacob) aitque: *Cave ne quidquid aspere loquaris contra Jacob.* Quid igitur ad hæc Laban? Retraxit illico ungues suos et gladium in vaginam; mitiusque agens, deprehenso genero: *Valet manus mea, inquit, reddere tibi malum: sed Deus Patris vestri heri dixit mihi, Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius.* Itaque sævitiam et odium convertit in amorem et benevolentiam, sanxitque fœdus et amicitiam cum genero perpetuam. Secundo: eodem vinculo constrictus et vinctus fuit Balaam, homo alioquin perditus et ariolus, ne malediceret Hebræis: tametsi enim ad hoc evocabatur a rege Balac, magnisque promissis ac muneribus provocabatur, fortiter tamen abnuvit dicens: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.* Variè etiam tentatus nequam adduci potuit, ut Hebræis malediceret. Ecce vero hoc? Quia audiverat a Deo: *Ne maledicas populo qui benedictus est.* Viderat etiam angelum evaginato gladio, in itinere sibi obsistentem, minantemque, nisi divino pareret oraculo. Igitur homines isti cæteroquin impii a Dei veri religione alieni continuerunt se suosque appetitus metu indignationis divinæ: et non continebit se Christianus, qui Dei sui justitiam, fortitudinem et vindictam in peccatores certa fide novit? His addamus tertio Attilam barbarum et impium, flagellum Dei et orbis terrorem. Hic Italiam ingressus et Romam versus tendens, omnia vastaturus, obvium habuit Leonem papam, cujus eloquentia persuasus pacem dedit Romanis, et ultra Danubium non rediturus abscessit. Mirati ejus proceres, cur se præter morem unius sacerdotis verbis tam mitem et benevolum præbuisset? Quibus ipse respondit, se adstantem alium sacerdotali habitu vidisse prope ipsum, minitantem sibi stricto gladio mortem, nisi Leonis mandatis paruisset. Baron. anno 452. Potuit ergo hic lupo coerceri a Leone vel potius a Deo, ne in ovile Christi irruer-

ret, potuit agnam induere mansuetudinem; et nolet Christianus frænare peccandi impetum, qui antequam admoveat manum ad peccatum, scit, vel saltem scire debet, gladium Dei evaginatum sibi imminere? Quid enim est illud Jacobi V. *Ecce iudex ante januam assistit*; nisi: jam imminet, jamjam ulcisci veniet? Hinc ergo S. Clemens epist. I. narrat S. Petrum dicere solitum: *Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos iudicium Dei ponat?* Sententia profecto tanto apostolo digna et proposito nostro congruentissima.

Ergo, auditores, admittamus etiam nos, et induamus nobis vinculo Joannis, vincula iustorum; et si quidem his jam vincti sumus, ne quæramus solutionem. Ita enim suadet Ecclesiasticus cap. VI. *Audi fili, inquit, et accipe consilium intellectus, et ne abicias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ. Decor enim vitæ est in illa (sapientia) et vincula illius alligatura salutaris, etc.*

CONCIO VI.

DE VINCULIS PECCATORUM, QUIBUS RETINENTUR IN POTESTATE DÆMONIS, NE AD PŒNITENTIAM FESTINENT.

I. Incredulitas. — II. Spes longioris vitæ. — III. Desperatio et diffidentia. — IV. Patientiæ horror. — V. Exemplum malorum. — VI. Respectus humanus. — VII. Neglectus salutis. — VIII. Præsumptio. — IX. Obstinatio. — X. Dæmonis astutia.

THEMA.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi, etc. Matth. XI.

Magna contentione quærant animas hominum Deus, et humani generis hostis diabolus, ita ut postquam ceperint unam, eam mox in vincula conjiciant, sedulo custodiant, ne sibi elabatur; etsi valde diverso fine: Deus ut vitam illis det; diabolus vero ut mactet et perdat, Joan. X. De Dei vinculis loquitur Ecclesiasticus c. VI. dicens: *Ne accideris in vinculis ejus.* Et mox: *Vincula illius alligatura salutaris.* De vinculis diaboli loquitur Dominus Luc. XIII. dicens: *Hanc autem filiam Abraham, quam alligavit Satanas, non oportuit solvi a vinculo isto?* Utraque autem vincula talia sunt, non quæ cogant hominem, sed fortiter quidem constringant; rumpi tamen ab illo, si velit, possint. Quænam vero Dei sint vincula, jam ante diximus; quod attinet ad diaboli vincula, multi ex illis vinculis mittunt quidem, quemadmodum Joannes in hodierno Evangelio, suos quosdam discipulos, id est, desideria quædam imperfec-

ta, suspiria, et velleitates, quibus liberari a iugo dæmonis et jungi vellent Deo; ipsi tamen non accedunt, nec unquam dicunt: volumus, sed vellemus tantum. Quænam autem illa sint, et quam contemnenda, nunc ostendam.

I. Incredulitas, qua persuadentur a dæmone, quasi ea quæ de inferno et altera vita dicuntur, de meritorum retributione, tantum inanes minæ sint et terriculamenta. Hoc pacto decepti sunt increduli illi Ægyptii Exo. IX. qui, comminante et prædicente per Moysen Deo grandinem multam nimis, perempturam homines et jumenta, nisi de agris sub tecta reducantur, fidem dicent non adhibuerunt, nec sub tecta se receperunt, nec pecora reduxerunt: ideoque cum jumentis omnes a grandine occisi sunt. Alii vero, qui timuerunt verbum Domini et crediderunt ei, receperunt se et pecora sua in tutum, et salvi fuerunt. Non dissimiliter Dominus toties nos admonet de futura ultima tribulatione, et igne perpetuo impœnitentibus præparato; proinde recipiamus nos in tutum, fugiamus sub tectum pœnitentiæ, nisi perire velimus. Quid tristius nuntiari potest eo, quod Dominus Luc. XIII. ait: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Sed non omnes timent hoc verbum, quia non omnes credunt, ideoque ad pœnitentiam non festinant. Sed num experimentum capere vultis earum, quas prædixit Dominus veritatum? Ante dies 14. audivimus, quam cladem et calamitatem prædixerit Dominus Jerosolymitanis, extremam scilicet vastationem; proinde cum viderunt urbem circumdari ab exercitu et abominationem stantem in templo, tunc fugerunt ad montes, etc. Annon exitus ostendit, vera dixisse Dominum? Facta sunt hæc ordine: nam paulo ante eversionem urbis templum a seditiosis occupatum, per cædes aliasque impuritates profanatum, adeoque (modo loquendi Scripturæ) abominatio facta est; similiter a Cestio Syriæ præside, obsidione cineta urbs, licet ad modicum tempus, ut daretur locus fugiendi fidelibus et civitate: deducit Barionius anno Christi 68. Quæ duo imminentis jam cladis signa advertere et credere fideles, ideoque ex urbe in alias regiones elapsi sunt juxta Christi consilium, ut testatur Epiphanius hæresi XXIX. et XXX. Reliqui vero, qui dictis Christi fidem non habuerunt, remanentes, miserrime perierunt juxta omnia quæ prædixit Christus. Numquid hæc terriculamenta et inanes minæ erant? Annon eventus ostendit, verissimam fuisse Christi prædictionem? Igitur, o increduli, vel hoc exemplo discite, vana non esse, quæ comminatur Dominus impœnitentibus.

II. Spes longioris vitæ; confidunt enim multi robori, valetudini, et juventuti suæ, quasi adhuc

tempus sit, et in momento, cum opus erit, pœnitentiam agere possint. Quibus accidit, quod aviculæ, quæ confisa in volatus sui pernicitate, licet videat infra se aucupem, de ramo in ramum saltat et cantat, quasi bene antevertere possit aucupem, si quid contra eam tentare vellet; putat enim se, ubi strepitum audierit, mox avolaturam: interim tamen balistæ globo trajicitur incauta, antequam sonitum percipiat. Ita multi ducunt in bonis dies suos, et voluptate de vitio in vitium saltantes; putant enim se ubi mortis adventuræ strepitum per senium vel ægritudinem audierint, mox pœnitentiam acturos, confisi in pennis roboris et juventutis suæ; interim tamen sæpe antevertuntur, et pereunt, antequam senescant aut ægrotent. Non potest dæmon persuadere talibus, quod sint immortales; id enim credere nequeunt, cum quotidie videant. modo abripi parentem, modo amicum, modo vicinum. Potuit quidem facilius hoc persuadere primis parentibus, ut qui mortis nullum adhuc viderant vestigium; nobis autem minime, ut dixi; quid igitur facit? Medicum imitatur, qui infirmo daturus certam pulpæ casiæ quantitatem, dividit eam in minutas pilulas, sicque paulatim per partes ægrotum assumere facit, quam is simul totam non sumpsisset. Semper victurum hominem, hoc jam dæmon nemini persuadet, sed cras te victurum et perendie et sic deinceps; hoc persuadet non difficile: unde tamen fit ut perinde vivant peccatores, ac si immortales forent. Hoc cum sibi persuaderet dives ille, annos scilicet plurimos, apud Luc. capit. XII. audiit a Deo: *Stulte hac nocte animam tuam repentem a te.* Accipitrem unam ex aviculis rapien- te, reliquæ omnes relicta esca et commoditatibus suis, in tutum se recipiunt, cantumque silentio commutant, quia simile infortunium metuunt; peccator autem, licet quotidie videat modo hunc, modo illum socium suum a morte abripi, non ideo desinit luxuriari, inebriari, ædificare, congregare, honores quærere, etc. Unde hoc, nisi quia immortalem se putat, nec simile infortunium metuit? Verissimum ergo, quod Ecclesiasticus capit. XXIX. ait: *Repromissio nequissima multos perdidit.* Cave igitur ne hoc vinculo retineri te patiaris, sed quia nullum habes certum diem, omnes suspectos habe. Quæso enim te, si in aulam introduceris, in qua scires, unum esse asserem occultum, qui, ubi eum attigeris, cedit et te dejiciet in mille gladios acutissimos, (qua ratione dicuntur perimi alicubi magni nominis rei) quomodo tu ibi spatium, saltare, ludere pila posses? Annon totum pavementum tibi suspectum esset? Modo vita tua ejusmodi aula est, in qua latet interitus tui dies aliqua, licet ignota. Quomodo ergo non semper paves, non semper tibi provides?

III. Desperatio vel etiam diffidentia aliqua de Dei misericordia. Quemadmodum enim cervus qui in exiguo saltu continetur, si modo venator eum includat pennis funi implexis, quibus conspectis putat se cervus undique conclusum et in retia casurum, ideoque in saltu retinetur, donec a venatore globo trajiciatur: ita dæmon peccatorem inveteratum maxime in articulo mortis constitutum undique concludit cogitationibus et angustiis, quasi impossibile ei sit evadere. Qui enim primo levissimum finxit peccatum, ut induceret eum ad peccandum, postea gravissimum fingit, ut retineat inductum; sicuti mercator, ut alliciat ad se emptorem, merces proponit, et dicit exiguo eas constare, solutioni se tempus dare, pecunia non indigere, etc. postea improvise advenit, nummosque exigit cum fœnore, diu se expectasse asserit, debitum magnum esse, se jam pecuniis indigere, judicem implorandum, etc. quo nimirum eum cogat domum sibi et fundos suos tradere. Ita in angustias redactus est a pessimo illo exactore dæmone Judas, ut undique discurrens, nullibi effugium inveniens, iverit potius ad carnificem, quam ad medicum, ad Scribas, quam ad Christum, atque ita demum extorsit ab eo animam. Sed stramineum et pennaceum est et hoc vinculum. Cave ab illo refinearis; nequit tibi dæmon cælum adimere, sicuti nec dare præsumenti.

IV. Pœnitentiæ difficultas et austeritas. Ut enim mures reperiantur, qui limo ante ostium cavi illito, nolunt egredi, sed potius inibi manere, adeoque capi malunt, quam in egressu fœdari, teste Pierio I. XIII. hierogl. ita aliqui delicatuli malunt in carcere dæmonis remanere, quam per pœnitentiæ foramen nonnihil strictum et humile egredi. Quid, inquit? Mene ita dejiciam ut noxas omnes homini aperi- am, ab illo argui, instrui et puniri me patiar? Ita fascinaverat aliquando Naaman illum Syrum IV. Reg. V. qui ad mundandam lepram suam jussus ab Eliseo septies lavari in Jordano, rem se indignam aut duriorum censens iratus recedebat. Sed audiens a servis; *Pater et si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras; quanto magis quia nunc dixit tibi: lavare et mundaberis?* Lavit et mundatus est. Multi tales qui malunt manere leprosi, quam exuere conscientiam in confessione et lavandos se præbere: venit vero hic timor ex eo quod ignota sit peccatoribus via pœnitentiæ. Quærit Aristoteles part. V. problem. XXV. cur via ignota longior appareat, quam nota? Et respondet: Ideo videri, quia nota sub certo termino apprehenditur, et ut tanta, non longior; ignota vero sub incerto termino, et tanta vel tanta apprehendi nequit, ideo quodammodo ut